Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Glossa super Ecclesiasten - Cod. Aug. pap. 14

[Reichenau], 1401-1445

Nota bullam extractam in curia Romana de esu lacticinorum [...]

urn:nbn:de:bsz:31-84703

Visual Library

Nota bullam extractam in curia Romana
de esu lacticiniorum ieiuniorum temporibus
per dominum Johannem [illegible] de Westernach prepositum
in Stutgardia que sic sonat

Nicolaus episcopus servus servorum dei Ad perpetuam rei memoriam
celestis summi successor clavigeri romanus pontifex Cum a deo
ligandi et solvendi collata est potestas Singulorum christifidelium
commoditatibus et indempnitatibus quantum cum deo potest consulit
et legis rigorem apostolice mansuetudinis remedio mitigat
prout in suis locorum temporum et personarum conspicit salubriter expedire
Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium comitum de Wirtemberg
et Comitatus eorum liberorum et subditorum suorum nobis exhibita
continebat quod ipsi et eorum antecessores priores ut creditur parte
a tanto tempore de cuius contrario memoria hominum non existit propter
olei caristiam et piscium carentiam vicinorum exemplo quod hoc ut creditur
ex privilegio sedis apostolice possunt in quadragesima et aliis diebus ieiuniorum
lacticiniis vesci et ea consueverunt prout adhuc comedunt et
vescuntur Cum autem sicut eadem petitio subiungebat Comites
liberi subditi huiusmodi de premissis sibi faciant conscientiam nisi eis
super hoc per sedem apostolicam licentia concedatur pro parte eorum fuit
humiliter supplicatum ut super hiis oportune providere de benignitate
apostolica dignaremur Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati
Comites liberos ac subditos quoscumque predictos et filios ac eorum
antecessores ab excessibus per eos occasione huiusmodi commissis quomodolibet
auctoritate apostolica absolvimus et eos fore absolutos reddimus
Ipsis quod in carentia sive penuria olei vel piscium huiusmodi
durantibus diebus predictis quibus ab ecclesia ieiunia sunt indicta
lacticiniis uti et vesci libere et licite valeant Constitutionibus
et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque non
obstantibus eadem auctoritate concedimus per presentes Nulli ergo omnino
hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis et concessionis
infringere vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc
attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum apostolorum
Petri et Pauli se noverit incursurum Datum Rome 1453 [illegible] kl julii
pontificatus nostri anno vij°

… Albertus de Brandenburg …
ministros et …

G. H. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE